



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. VIII. De Dilationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

deberent: nam ob talem contumaciam, seu culpabilem omissionem, aut cunctationem, sicut ob alia delicta totius Corporis, seu Collegij, merito punitur ipsa Ecclesia, eaque ipsi nocet, *Abb. c. l.*

Neque etiam obstat, quod confessio expressa administratoris, vel tutoris, v.g. noceat pupillo; ut docet *Bart. in l. 2. §. Quod observari; num. 6. C. h. t.* ergo etiam confessio tacita, seu jure praesumpta. Negatur conseq. quia in proposito recusans jurare, tacite, seu juris fictione, habetur pro confessio, in poenam delicti; delictum autem personae non debet in detrimentum Ecclesiae (vel alterius universitatis, aut pupilli) redundare, *juxta Reg. jur. 76. in 6. Abb. c. l.* Unde, cum dicitur, quod expressi, & taciti eadem sit vis, id limitandum est, ut non procedat, si confen-

sus tacitus non oriatur ex natura rei, seu actus, sed juris fictione, seu praesumptione sit introductus in poenam delicti.

XXV. Queritur tertio. Quis sit effectus juramenti de calumnia? Resp. Juramentum hoc praestitum id operatur, ut jurans excusetur ab omni calumniandi suspicione, sive à tacita, seu praesumpta calumnia: non autem ab evidente, & expressa: & ideo committens calumniam, in processu causae, sive criminalis, sive civilis tantum, non obstante juramento calumniae, quod praestitit, finita causâ, tanquam calumniator criminaliter accusari potest, & puniri, *Marant. de ord. jud. p. 6. de juram. calumn. n. 12.*

¶ 13. VVesemb. cit. l. num. 11.

T I T V L V S V I I I.

DE DILATIONIBUS.

Dilationes quaedam ante litis contestationem dantur, quaedam verò post illam: nam lite contestatâ, ac Juramento calumniae utrinque praestito, solent litigantes petere inducias, & dilationes ad probandum, & excipiendum: & sic habitâ ratione harum dilationum, quae post litis contestationem conceduntur, subiungitur hic Titulus praecedentibus, conformiter ordini, qui observatur à Justiniano in Codice; quamvis in Decretalibus, & Capitulis huius Tituli solùm agatur de Dilationibus, quae dantur ante litis contestationem; cum tamen Rubrica sit generalis de Dilationibus in genere, sub qua comprehenduntur tam illae, quae ante, quam quae post litem contestatam conceduntur: adeoque Rubrum est generalius nigro, id est, Rubrica Tituli contentis in illo; ut notat *Gl. & Abbas ad Rubric. h. t.* Extat idem Titulus in Extravag. communibus.

I.

Dico explicatione Rubricae huius Tit. Notandum primò. Dilatio in genere, prout etiam extrajudicalem complectitur, nihil aliud est, quam indultum, seu concessio temporis, intra quod aliquid agi potest. Dilatio verò judicialis, de qua hic agitur, est assignatio certi diei, seu termini, intra quem actus judicialis peragendus est, iusto temporis intervallo facta; seu iustum temporis intervallum, quod ad actum aliquem judicialem commodius perficiendum auctori, vel reo conceditur; prout definitur apud *VVesemb. in paratit. ff. De Feris, & Dilat. n. 9. & C. eod. n. 1.*

II. Notandum secundò. Dilationum aliae sunt legales, quae à lege (vel etiam statuto, aut consuetudine, vel stylo Curiae) conceduntur, v.g. ad appellandum intra decem dies, *c. Quod ad consultationem; 15. de sent. & re judic.* vel ad petendam restitutionem in integrum: Aliae conventionales, quae ex partium conventionem, seu consensu dantur, v.g. ad solvendum debitum intra annum, *l. Cedere; 113. ff. de V. S.* Aliae denique judiciales, quae à Judice in Ju-

dicio dantur, eaque ordinatè arbitrariae sunt, seu Judicis arbitrio determinanda relinquuntur, qui spectatâ tum distantia loci, tum causae, & personarum qualitate, longiorem, vel breviorém dilationem concedere potest; ut docet *Marant. de ord. judic. p. 6. in 2. judicii part. Actus; 3. n. 15.* Imò etiam dilationem legalem, seu certâ dilationum tempora, quae à jure definita sunt, Judex ex causa abbreviare, vel prorogare, seu extendere potest; ut notat *Gl. in c. 1. V. Peremptorium; h. t. Marant. c. l. n. 16. de quo infra.* Debent autem dilationes dari à Judice pro tribunali sedente, causâ cognitâ, & utraque parte praesente, *l. Procedente; 4. C. h. t. Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de Dilationib. §. 3. n. 1.*

III. Notandum tertio. Sicut tres sunt Judicii partes, prima à citatione usque ad litis contestationem inclusivè: secunda à litis contestatione usque ad sententiam definitivam exclusivè: tertia à sententia usque ad eius executionem inclusivè: ita dilationum judicialium tres sunt praecipuae species. Nam aliae in prima Judicii parte, seu exordio litis competunt, & dantur, ratione justii impedimenti, ob quod com-

parere

parere quis non debet, vel non hoc modo, aut tempore, *Zof. in Comment. ff. de Fer. & Dilat. n. 8.* cuiusmodi quædam sunt, & dicuntur dilationes citatoriae, quædam deliberatoriae, quædam reculatoriae, seu dilatoriae: alia dilationes in secunda parte Iudicii conceduntur, & vocantur probatoriae, vel allegatoriae; alia denique in tertia parte; ut sunt definitoriae, & executoriae, *Abb. in c. 1. num. 15. h. t. Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de Dilationib. Hostiens. in summa h. t. n. 1.* de quibus nunc agemus,

§. I.

De Dilationibus, qua ante litis contestationem conceduntur.

IV. Assertio 1. Dilationes citatoriae, quæ aliàs etiam expectatoriae vocantur, sunt, quæ reo absenti citato dantur ad comparandum, & respondendum in Iudicio petitioni actoris: neque enim reus sic citari potest, ut statim comparere debeat; sed aliqua dilatio danda est, siue certum tempus exprimentum in mandato Iudicis, ut ad Iudicium venire possit, & quo comparere debet. Quantum autem temporis reo citato præfigi possit, vel debeat à Iudice ad comparandum in Iudicio, dictum est supra tit. 2. n. 215.

Potest dilatio citatoria, cum termino peremptorio, non debet esse nimis brevis, præsertim, cum de rebus Ecclesiasticis agitur, nisi necessitas aliud requirat, alioquin licet appellari poterit; prout statuitur in *c. Dilat. 1. h. t.* Nam, cum inter quendam Abbatem, & eiusque Conventum, ex una parte, & Moniales ex altera parte, super quadam Ecclesia controversia verteretur, eam Alexander III. quibusdam Iudicibus definiendam commisit; qui Abbatem, & Conventum citârunt; sed nimis brevem, eumque peremptorium terminum, ad comparandum eis statuerunt: quare, cum ij se hac in re gravari viderent, ad Sedem Apostolicam appellârunt. Papa rescripsit aliis Iudicibus à se delegatis, quod sit contra Juris ordinem, maxime cum de rebus, seu causis Ecclesiasticis agitur, si terminus peremptorius ita maturatur (id est, abbrevietur) nisi necessitas urgeat. Quare iisdem mandat, ut, si res ita se habeat, quidquid post appellationem factum est, rescindant, seu in irritum revocent, & juxta priorum litterarum tenorem, in causa procedant. Ratio decisionis est, quia, quamvis aliàs dilationes superflua sint amputandæ, l. 2. c. de tempor. appell. Clem. 2. de V. S. tamen terminus earum, præsertim peremptorius (ultra quem scilicet citato super illo actu alia dilatio non datur, l. Et tertium; 70. ff. de judic.) non debet esse nimis brevis: quia dari solent dilationes, ut intra eas quis possit commodè adimplere id, ad quod citatur, *c. De inducis; 2. caus. 3. q. 3.* idque maxime locum habet, quando agitur de rebus Ecclesiasticis; quia hæc sunt favorabiles, l. Sunt personæ; 43. ff. de relig. & sumpt. fun. in quibus ex dilationes, quæ necessariae sunt ad veritatem indagandam, magis, quam in aliis causis, sunt concedendæ; cum in foro Ecclesiastico veritas, & æquitas maxime attendi debeat. Excipiunt tamen, nisi necessitas aliud postulet, quæ legem non habet, *c. Discipulos; 26. dis. 5. de consecr.*

V. Notandum hic præterea primò. Dilatio-

Tomus II.

nes citatoriae, suapte naturâ, non sunt peremptoriae, sed unâ dilatione concessâ, altera, ac demum tertia, quæ peremptoria est, concedi debet, l. Ad peremptorium; 68. & duob. seqq. ff. de judic. potest tamen Judex, ex causa rationabili, pro tribus citationibus, unam peremptoriam decernere, l. Nonnunquam; 72. ff. eod. l. Contumacia; 53. §. 1. ff. de re judic. l. Consentaneum; 8. c. Quomodo, & quando Index & c. modò unica illa citatio tantum temporis contineat, quantum omnes tres citationes, seu edicta, *Gl. in cit. c. 1. V. Peremptorium; h. t. Abb. ibid. n. 9.* Potest etiam Judex, spectatâ distantia loci, & causæ, ac personarum qualitate, & conditione, vel temporis, ut quia feriæ appropinquant, has dilationes citatorias producere, aut abbreviare, *cit. l. Nonnunquam; ff. de judic. & sumitur ex hoc c. 1.* ubi cum dixisset Pontifex, contra juris ordinem esse, si terminus peremptorius ita maturetur, seu nimis brevis assignetur, exceptionem addit; nisi necessitas exigat, ut dies, seu terminus peremptorius abbrevietur. *Abb. ibid. n. 10.*

Notandum secundò. Causæ justæ abbreviandi dilationes citatorias variæ esse possunt: veluti, si periculum sit in mora, quia res, de qua agitur, alioquin peritura est, aut magnis expensis conservanda est, nisi lis brevi tempore finiatur: si jurisdictio Iudicis modico tempore duratura sit, quia ad breve tempus datur: si causa est modicæ quantitatis, aut præjudicii, & dilatio magni incommodi, *Arg. Auth. Nisi brevis; C. de sent. ex brev. recitand.* si reus citatus non procul distet, & facile se instruere possit ad comparandum, & respondendum: si jam conclusum sit in causâ; tum enim facilis abbreviari potest dilatio peremptoria ad audiendam sententiam, ut lis finiatur. Sic etiam, ob qualitatem personæ, major dilatio seni danda est, quam juveni, *Abb. in cit. c. 1. n. 7. h. t.* Denique si agatur de causâ alimentorum, sine quibus vita diu servari non potest: nam venter moram non patitur, *Camil. Borell. in summ. decis. tit. 47. n. 63. & 64.*

VI. Notandum tertio. Si dies, seu terminus peremptorius nimis brevis citato ad comparandum statuatur à Iudice, appellationi locus erit, præsertim in causis Ecclesiasticis; ut constat ex hoc c. 1. Verum ideo solum, quod à Iudice una citatio, eaque peremptoria facta sit, appellari non potest, sed quod nimis brevis terminus peremptorius assignatus sit, non concessio tanto tempore, quod alioquin ad trinam citationem sufficeret, *Abb. c. l. n. 12. Lanfranc. in praxi judic. c. 2. num. 13. & 14.* Eodem modo appellari potest à nimis longa dilatione: quia sicut pars litigans gravari potest, ob nimis brevem dilationem, eamque peremptoriam datam, ideòque appellare: ita etiam gravari potest actor, vel reus, si lis per longam dilationem, absque necessitate, protrahatur, & magis justa causa appellandi est, si dilatio sit omnino denegata, *Lanfranc. c. l.* quia dilationes citatoriae, si pars absens sit, ex necessitate dantur. Addit *Abb. in cit. c. 1. n. 10. & 11.* consultum esse, ut Judex, cum terminum peremptorium, seu dilationem abbreviat, causam illius exprimat, & peremptoriae citationi inferat: quia tunc magis præsumitur, quod Judex ob justam causam abbreviaverit, & excludetur appellatio. Consultum etiam est, ut pars litigans contra Judicem dantem, absque justa causâ, nimis brevem, aut longam dilatio-

dilationem citatoriam, aut probatoriam statim protestetur, ne alioquin consentire videatur; quæ protectio hoc operabitur, quia etsi elapsa sit dilatio, potest deinde alia nova dilatio peti, etiam sine causæ cognitione, cum prima non fuerit integra: ideoque secunda non censetur nova dilatio, sed potius integratio, seu suppletio primæ, *Marant. de ord. judic. p. 6. Membro; 2. Actus; 3. n. 17.*

VII. Ceterum illud hoc loco præterea observandum; si quis citatus sit in causâ ardua ex loco valde remoto, citatione peremptoriâ, ita, ut terminus peremptorius statim primâ vice assignetur ad totam causam; sed postea, antequam compareat, iterum vocetur, seu citetur ad eundem locum Judicii, non tamen pro sua privata causâ, sicut prius, sed ob publicam utilitatem; tum non statim ibi respondere cogitur in privata sua causâ: quia, cum occasione suæ protectionis non potuerit intra terminum peremptorium citationis, necessaria ad Judicium præparare, seu causam ad eam arduam instruere, ideò habet jus domum revocandi, & debent illi novæ induciæ, seu nova dilatio dari: quia prior dilatio peremptoria, ob superveniens impedimentum, non fuit sufficiens ad deliberandum, & causam instruendam, debetque citatus à parte adversâ reputari pro absente, ac si nunquam in loco Judicii fuisset: quia præsentia, quam ob publicam utilitatem in loco Judicii exhibuit, ei in causâ sua privata damno esse non debet, prout sumitur ex c. *Exposuit; 4. C. ult. h. t.* Nam, cum inter Bituricensem, & Burdegalem Archiepiscopos controversia orta esset super jure Primatiae, Papa Gregorius IX. citavit Archiepiscopum Burdegalem, ut ad initium Quadragesimæ, quod tempus ei velut terminum peremptorium assignavit, per se, vel per procuratorem, Apostolico conspectui se præsentet. Sed postea ab eodem Papa personam liter vocatus, ad consilium, vel subsidium aliquod Ecclesiæ Romanæ afferendum, Romam venit: ubi tum Bituricensis quoque Archiepiscopus existens instantè postulavit; ut in causâ inter ipsos controversia procederetur. Sed Burdegalem domum rediens, loco sui procuratorem ad eam causam reliquit, qui salvis exceptionibus sibi competentibus in respondendo, & defendendo, omnia ageret, quæ ipse Archiepiscopus in propria persona posset. Cum igitur Bituricensis Archiepiscopus procuratorem absentis urgeret ad respondendum, ille excepit, se ad id non teneri, cum principalis ipsius privilegium haberet causam domum revocandi (id est, quòd conveniri debeat in loco domicilii sui) quandoquidem ob aliam, eamque publicam causam, vocatus Romam venisset; ideòque pro absente haberi debeat. Sed neque cum Suffraganeis, seu Coepiscopis suis, & aliis, quorum consilium in causâ tam ardua requirendum sit, deliberasse, quia tantum tempus non habuit, ut ad utrumque negotium paratus, & instructus Romam veniret. Ex parte verò adversâ, scilicet Archiepiscopi Bituricensis, propositum fuit, quòd Burdegalem jam antè super controversia ista à Papa citatus fuerit, neque primum mandatum citatorium per posterius personaliter veniendi revocatum fuerit, & tantum

quoque tempus habuerit Burdegalem; ut sufficienter deliberare potuerit super utraque causâ, quòd ipsum cum quibusdam jam facere cœperat. His utrinque propositis auditis, Papa, cum consilio Cardinalium, aliam adhuc dilationem Archiepiscopo Burdegalem, usque ad festum Nativitatis Domini, concessit.

VIII. Pro intellectu huius c. Notandum primò. Citatio ex remoto loco facta ad comparandum, expressâ causâ, super qua citatus respondere debet, censetur emanasse, non solum, ut reus compareat, sed etiam, ut deliberet cum ijs, qui ipsum in causâ informare, seu instruere possunt: quia, quando locus est valde distans, non debet reus comparere, nisi instructus in causâ; ideòque, si superveniat impedimentum tollens facultatem deliberandi cum aliis, intra tempus peremptoriæ citationis, nova danda est dilatio, *Abb. hic num. 6.* Ut in casu huius c. Archiepiscopus Burdegalem prius citatus in propria causâ ad Sedem Apostolicam, sed postea in causâ publica Ecclesiæ, quæ præferenda est privata, non habuit sufficiens tempus ad consulendum eos, quorum consilium requirebatur, ob arduam causâ suâ propriâ: ideòque alia dilatio ei concedenda fuit, ne officium in Ecclesiâ utilitatem præstitum ei damnosum esset, quòd esse non debet.

Notandum secundò. Quando sit citatio ad loca remota, fieri potest ad totam causam, & ita, ut terminus peremptorius primâ vice assignetur, juxta c. *Tum ex literis; 5. in fine. de in integr. restit. Abb. hic num. 3.* imò citationes ordinariè in Camera fiunt ad totam causam, teste *Gail. l. 1. obs. 51. num. 10. C. 12.* Quòd si in causâ ardua terminus citationis peremptorius sit ita brevis, ut licet possit comparere, non tamen alios consulere, vel deliberare possit, tum etiam legitime appellare potest, *Arg. c. 1. h. t. Abb. hic n. 6.*

IX. Assertio 2. Dilationes deliberatoriæ sunt; quæ reo, post oblatum libellum, dantur, ut deliberare possit, utrum litigare velit, an non, *Abb. in cit. c. 1. n. 15. h. t.* Dantur autem xx. dierum induciæ reo ad deliberandum, à die porrecti libelli actoris, juxta *Auth. Offeratur; C. de lit. contest.* quas Judex abbreviare non potest, sicut nec x. dies, qui dantur à lege ad interponendam appellationem, nec annus ad illam proseguendam; ut tradit *Gl. ibid. V. Decem dierum; in fine.* quamvis ex urgentissima, & maxima causâ tempus etiam à lege præfixum Judex prolongare, vel abbreviare possit, *Borell. c. 1. num. 60.* Actori autem ab initio dilatio dari non debuit: quia, cum provocet ad litigandum, instructus venire potest, ac debet, *l. 2. C. h. t. Gl. in c. 2. V. Plenè.* Postea verò, si reus excipiat, & actor replicet, etiam actori danda est dilatio deliberatoria: quia super illa exceptione non potuit venire instructus, *Abb. in cit. c. 2. n. 13. h. t.*

X. Porrò etiam reo quandoque denegandæ sunt induciæ, seu dilationes deliberatoriæ, si nimirum per literas citatorias plenè instrui potuit, & se cum deliberare, cedere liti, an contendere velit, juxta c. *Præterea; 2. h. t.* Nam, si quis impetravit rescriptum Apostolicum contra aliquem ad Judicem delatarum; & isque reum ad Judicium legitime citet, tenorem

norem rescripti delegationis mandato citatorio in-
serens, ita, ut reus ex eo sibi transmissio delibera-
re, & plenè instrui possit de re, super qua conveni-
tur in iudicio (sive circa qualitatem causæ, & actio-
nis) tum induciæ, seu dilatio deliberatoria non est
ei concedenda, sed ad causæ cognitionem, & de-
finitionem est procedendum; prout rescribit Papa
Celestinus III. in cit. c. 2. Ratio est, quia hoc casu
nulla causa subest, ob quam reo ulterius induciæ de-
liberatoriæ concedi debeant: superflua autem dila-
tiones denegandæ sunt, nec sine causa concedendæ,
cum per eas iudicium retardetur, l. 1. & ibi Gl. V. Fla-
gitaverit; C. h. t.

XI. Ubi quædam adhuc sunt notanda. Primò.
Terminus, seu tempus in citatione præfixum
reo, ad comparandum in iudicio, debet esse suffi-
ciens, seu tantum, ut non solum comparere, sed etiam
super causa deliberare, an in iudicio litigare, necne
velit, & advocatos, alioque peritos consulere pos-
sit: alioquin, si terminus non foret ita sufficiens, alia
dilatio ad deliberandum concedi deberet: quia cessa-
ret tunc ratio, propter quam denegantur reo induciæ,
Abb. hic num. 2. Secundò. Quamvis dilatio de-
liberatoria censetur peremptoria, ideò que non nisi
semel, seu unica sit concedenda: si tamen legitimum
impedimentum intervenerit, ob quod reus non po-
tuit in prima dilatione deliberare, & sufficienter in-
strui; vel nova causa incidisse ostendatur, ob quam
deliberare oporteat, alia dilatio addi debet, Abb. hic
num. 3. Tertiò. Iudex delegatus debet, unà cum
citatione, copiam delegationis sibi factæ, sive Exem-
plar ex originali manu Notarij transumptum mitte-
re ad citatum, alioquin is ad comparandum non obli-
gatur; prout sumitur ex cit. c. 2. & ibid. tradit In-
noc. & Abb. num. 5. quamvis putet, sufficere copiam
rescripti etiam non authenticam. Id verò procedit,
si agatur de præiudicio gravi Rei; ut si citetur ex
loco valde remoto: si verò de levi solum præiudicio;
ut quia citatur quis ex loco non multùm dis-
tante, ita, ut sine magnis expensis venire possit;
tum citatus venire debet, etiamsi citationi non sit
insertum rescriptum delegationis, vel eius copia, sed
solum simpliciter in eo iudex asserat, se esse consti-
tutum delegatum, modò sit persona non exigua au-
thoritatatis, cui proinde fides habenda sit: quia in pro-
babili dubio iurisdictionis non tenetur citatus com-
parere, Arg. l. Si quis; §. ff. de iudic. Abb. c. l. Sed de
hoc plura alibi sunt dicta.

XII. Ceterùm alius casus, in quo nova dila-
tio deliberatoria reo dari non debet, est, si in libello
ab actore oblato verbum generale, vel ambiguum
sit positum: nam ob eius declarationem non sunt no-
tæ induciæ concedendæ; si ex aliis verbis libelli reus
possit cognoscere statum causæ, & utrum cedere, vel
contendere velit; prout deciditur in c. Litteræ; 3.
h. t. Nam, cum inter Presbyterum Ecclesiæ S.
Petræ in Urbe, & duos quosdam Nobiles, coram
Episcopo Ferentino, super quibusdam possessioni-
bus, seu bonis controversia verteretur, Presby-
ter nomine Ecclesiæ suæ obtulit libellum, in quo
continebatur, quòd pensio ex quibusdam posses-
sionibus, seu bonis ad Ecclesiam suam pertinenti-
bus debita, jam per tres annos, & ultra, soluta non
fuerit. Cum autem dicti Nobiles peterent expli-

cari, quantum temporis spatium significaretur per
adjectam particulam, Et ultra; Presbyter respon-
dit, quòd septem annis fuerit in solutione pensio-
nis cessatum. Tum verò Nobiles illi petierunt lon-
giores inducias, seu dilationem ad deliberandum
sibi dari, eò quòd libellus per expressionem septem-
nij mutatus sit: & quia Episcopus id concedere ne-
gabat, ipsi ad S. Pontificem Honorium III. appel-
larunt. Qui respondit, hanc appellationem fri-
volam, seu illegitimam esse, & mandavit Episcopo,
ut eà non obstantè, in negotio, juxta prioris re-
scripti, seu litterarum formam, procedat.

XIII. Pro explicatione huius c. Notandum
primò. Duplex potest esse sensus, seu intellectus
huius c. ut notat Gl. hic V. Tribus annis; & Abb. n. 10.
Primò, quòd actor petierit, ut Nobiles per iudicis sen-
tentiam declararentur, jus emphyteuticum in posses-
sionibus perdidisse, propter pensionem tribus annis
non solutam: quæ pœna commissi incurritur, si tanto
tempore cesset a solutione Canonis, in omni em-
phyteusi, etiam privatâ, l. 2. C. de iure emphyt. imò
Ecclesiastica perditur, si per biennium Canon non
solvatur; ita tamen, ut moram purgare possit em-
phyteuta, si celeriter, post elapsum biennium, pen-
siones offerat, c. ult. de locat. cum ergo in hoc c. di-
ctio illa, Et ultra, ex abundantia, & superflue sit ad-
jecta (nam emphyteuta Ecclesiæ, si per biennium
cesset in solutione Canonis, privari potest iure suo;
ex eo verò, quòd actor expressit in libello pensionem
per triennium, & ultra, solutam non fuisse, jam ap-
parebat, rem emphyteuticam in commissum cecidisse,
cum ad hoc sufficiat biennium) ideo reus, post
hanc actoris declarationem, non rectè novas indu-
cias, seu dilationem petijt ad deliberandum; cum
jam antè in prima dilatione data in libelli oblatione
potuerit deliberare. Ex quo patet, quòd, quæ in li-
bello adduntur superflue, & ad substantiam eius non
spectant, neque necessariò probari debent, per eo-
rum expressionem non mutetur libellus, & conse-
quenter neque longior dilatio ad deliberandum hoc
casu dari debet.

Alter sensus huius c. esse potest, quòd pensio-
nes pluribus annis à nobilibus non solutæ repeti-
tæ fuerint; non quòd debita sint ex bonis emphy-
teuticis, sed ex bonis venditis, in quibus sibi an-
nuum censum reservavit Ecclesia; non tamen ita,
ut censu non soluto, res cadat in commissum, sicut
in emphyteusi; cum plenum dominium sit trans-
latum in emptorem, cui talis census est impositus:
& neque hoc casu nova dilatio deliberatoria dari
debet, si quidem reus conventus deliberare, & sta-
tum causæ cognoscere, seu prævidere potuit gene-
ralitatem, aut ambiguitatem verbi in libello posi-
ti: ut in casu huius c. Nobiles illi facillè recordari,
vel ex suis libris censualibus cognoscere poterant,
quanto tempore pensiones debita non fuerint so-
lutæ: adeòque etiam, quousque se extendat parti-
cula, & ultra, quæ ad modicum tempus refertur,
nisi aliud exprimat: nam in proprio facto igno-
rantia non præsumitur, nisi diuturnum tempus in-
tercesserit; juxta c. Ab excommunicato; 41. junctâ
Gl. V. De facto suo; de rescript. Abb. hic n. 13.

Notandum secundò. Si libellus sit ita gene-
ralis, obscurus, seu ambiguus, ut citatus verisimi-
liter

liter deliberare non potuisset (quod Judicis arbitrio relinquatur) tunc post eius declarationem, debet dari alia dilatio ad deliberandum, ac si prima data non fuisset, *Hofstiens. hic V. Denegasti; & Abb. n. 13.*

Notandum tertio. Appellatio facta in casu hujus c. fuit frustratoria: quia adjectio illius particulæ, & ultra, fuit superflua, & jam declaratum erat ab actore in præcedentibus, quod pensio ultra biennium non fuerit soluta: idcirco novâ dilatione non erat opus, quia jus emphyteuticum jam erat amissum, *Hofstiens. hic V. Fivoolam.*

XIV. Assertio 3. Dilaciones recusatoriæ, seu declinatoriæ dicuntur, quæ ad omnes exceptiones dilatorias, seu declinatorias opponendas dantur, priusquam litis contestatio fiat, c. *Pastoralis*; 4. de except. Ut si reus velit Judicem velut suspectum recusare, l. *Aperitissimi*; 16. C. de judic. vel impugnare rescriptum, vi cuius ad incompetentem Judicem citatus est, l. 2. C. h. t. Vel, si velit actorem suum laudare, l. 2. C. *Ubi in rem alio*; id est, ipsi litem denunciare, ad eum effectum, ut possit contra eum habere recursum de evictione, l. *Emptor*; 8. C. de eviction. de quo plura videri possunt apud *Marant. p. 6. Membro 5.*

XV. Postremò de alia dilatione citatoria fit mentio in Extravag. *In delictorum*; un. h. t. inter communes, ubi fabricantes falsos florenos peremporie citantur, datâ illis dilatione trium mensium, intra quos coram Papa se sistant, ad reddendam rationem, ob quam ipsis competat jus cudendi tales florenos: aliâs contra ipsos, non obstantem eorum absentia, procedatur, prout justitia postulabit. Ubi notat *Fivian. in ration.* et si hi nummi Florentiæ cadebantur, adeoque extra territorium temporale Papæ; tamen Joan. XXI. ad suam Curiam, & Sedem eos citavit: quia Papa habet potestatem ubique locorum peccata prohibendi, & simplicium, ac innocentium indemnitati consulendi.

S. II.

De Dilationibus, quæ post litis contestationem, vel ante sententiam definitivam, vel post illam, conceduntur, & de prorogatione, atque effectibus dilationum.

XVI. Assertio 1. In secunda Judicii parte, post litis contestationem, & juramentum calumniæ præstitum, conceduntur dilaciones probatoriæ, & allegatoriæ. Probatoriæ sunt, quæ dantur actori ad positiones, & articulos probatorias formandos; vel reo ad respondendum ad eos, sive excipiendum; item ad testes, vel instrumenta querenda, aut præparanda; adeoque ad probandam suam intentionem, vel exceptionem, l. 1. & 2. C. h. t. *Durand. c. l. §. ult. in princ. & num. 6. Hiltrop. in process. judic. p. 2. tit. 34. num. 70. & 74.* Atque hæc dilaciones probatoriæ in causis pecuniariis, ac civilibus

regulariter sunt peremptoriæ, etiamsi id non exprimitur, ita; ut non nisi semel, sive unica dilatio ad probandum dari debeat, quæ elapsâ Judex nullam aliam dare, sed procedere debet, l. 1. in fine. & *ibi Barr. n. 1. C. h. t. l. Oratione*; 7. & l. ult. ff. de fer. & dilat. *Gail. l. 1. obs. 91. num. 1.* Etsi verò in concessione dilacionis non addatur verbum, *peremptoria*, tamen ex juris dispositione illud subintelligitur, *Marant. de ord. judic. p. 6. in 2. judic. part. Acti 3. num. 2.* Neque quoad hoc ulla differentia est inter actorem, & reum, nisi quòd Judex longiorem dilacionem dare possit reo, quam actori, eò quòd non perinde reus possit ad Judicium venire instructus, sicut actor, *Marant. c. l.*

XVII. Porro, quod dictum est, probatoriæ dilaciones non, nisi semel, seu unicas dandas esse, id limitandum est primò. Nisi justum impedimentum à parte litigante allegetur, & probetur; quò minus intra terminum primæ dilacionis, probationes suas instruere poterit; idcirco etiam novam dilacionem petat: tum enim Judex alteram dare potest, sed cum causæ cognitione saltem modicâ, cit. l. *Oratione*; ff. de fer. & dilat. imò & tertiâ, *Lanfranc. in prax. judic. c. 2. num. 3.* Idemque est, si lapsâ primâ dilacione, superveniant litiganti novæ probationes, idque juramento asserat; quia ad illas producendas potest dari nova dilatio, c. *Pastoralis*; 4. de except. nam ea, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *Marant. c. l. num. 5. 6. & 11. Mysing. cent. 1. obs. 71.*

Quin imò ob justum aliquod impedimentum, præsertim, si inopinatum emerget, non tantum secunda, & tertiâ; sed etiam quarta dilatio probatoria à Judice dari potest, cum solemnitate legali, seu servatâ solemnitate juris, videlicet, ut cum petens, post allegatam, & probatam legitimam petendi causam, juramentum edat, quòd non malitiosè, & dolosè talem dilacionem petat, *juxta Auth. de resib. §. Quia verò; collat. 7. Auth. At qui semel; C. de probat. c. In causis*; 15. & *ibi Gl. V. Productionem; de resib. Lanfranc. c. l. num. 11. Gail. cit. obs. 71. num. 4. & 5.* ubi addit, quod de tali impedimento Judex prius debet cognoscere, an sit legitimum; aliâs secunda, & tertiâ dilatio esset ipso jure nulla, & per consequens etiam progressus esset nullus. Ulterior verò, seu quinta dilatio nunquam dari solet; ut colligitur ex cit. *Auth. At qui semel*; & tradit *Gl. magn. in cit. l. fin. ff. de fer. & dilat. Durand. c. l. num. 19.* idque, ne lites fiant immortales, & causâ plus æquo extrahatur, l. *Properandum*; 13. C. de judic.

Limitandum secundò in causis criminalibus, in quibus reo tres dilaciones, accusatori dux, & ex quacunque causâ, & nullo etiam allegato impedimento, dari possunt; dummodo non sit præsumptio, quòd malitiosè petantur, & causâ cognitâ dentur, cit. l. *fin. & ibi Gl. mar. ff. de fer. & dilat. Lanfranc. c. l. num. 2. & 3. Gail. c. l. num. 19.*

Ratio est, quia in ijs causis maius vertitur præjudicium, & quia favorabilius sunt Rei, quam actores: ideo reo plures dantur dilaciones, quam actori; præsertim, quia reus non sic instructus esse potuit, sicut actor, *Gl. l. c. & licet reus. in cit. l. fin.* solum loquatur de causis capitalibus; ex

con-

consuetudine tamen extenditur ad omnes causas criminales, etiam illas, in quibus non imponitur poena sanguinis, *Gl. margin. ibid. lit. d. Lanfranc. c. l. Mar. c. l. n. 2.* Imò in causis criminalibus potest Iudex reo petenti dilationem ad probandam suam innocentiam, semper etiam post conclusionem in causa, ante latam sententiam, concedere; si praesumi non possit, malitiosè eam peti, *Marant. c. l. n. 3.*

XVIII. Præterea hæc dilationes probatoriae plerumque non conceduntur à Iudice, nisi ad instantiam partis litigantis, *l. 1. ibi Postularum; C. h. r. quavis etiam Iudex ex officio, nemine petente, eas dare possit, si ita expedire iudicaverit, Barr. ibid. n. 1. & 2. et quidem nulla dilatio probatoria, etiam prima vice, dari potest, sine aliqua causæ cognitione, saltem levi, seu modica; ut constat ex *cit. l. 1. & l. A. procedentes; C. h. r. videlicet, ut primò consideretur distantia loci, cit. l. 1. secundò, an probatio relevet probantem, id est, an id, quod probare cupit, qui dilationem petit, sit pertinens ad causam; nam impertinentia ad probandum non sunt admittenda; adeoque neque dilatio probatoria tum concedenda est, *l. ad Probationem; 22. C. de probat. tertiò, an probationes habeat in promptu, & sic magis per calumniam, quam ex necessitate dilationem ad probandum petat, Lanfranc. cit. c. 2. n. 3. & 4. Ad secundam verò dilationem probatoriam requiritur exacta causæ cognitio, quam Iudex dare non potest, nisi sedendo pro tribunali, cit. l. A. procedente; iuxta *Gl. magn. C. h. r. & præter prædicta, insuper requiritur, ut iustum impedimentum obetur per testes, vel saltem per iuramentum, si facilè probari non possit; dummodo etiam iurans sit persona honesta, & fide digna, Lanfranc. c. l. n. 4. & 5.****

XIX. Quòd verò attinet ad tempora dilationum probatoriarum, etsi Iure communi ea moderanda sint, pro distantia locorum, & personarum qualitate, ita, ut regulariter tres menses concedendi sint, quando ex eadem provincia; sex, quando ex adiacentibus provinciis persona citanda est; ac denique, ut summum novem menses, quando ex transmarinis provinciis persona citanda est, & probationes desumendæ sunt, ita, ut posteriores, seu longiores dilationes dari non possint, *iuxta l. 1. C. h. r. hodie tamen tum Iure communi, tum etiam in Camera Imperiali huiusmodi tempora arbitrio Iudicis committuntur; ut notat Marant. c. l. n. 15. Gail. cit. obs. 91. n. 13. Vetuntamen æqualitas inter actorem, & reum servanda est; ut quantum temporis datur actori, tantum detur etiam reo, si petat, cum eius partes sint favorabiles, *Reg. 25. in ff. & aliàs etiam in iudiciis æqualitas sit servanda, neque iudicium claudicare debeat, Gail. c. l. Hinc dilatio probatoria, quæ datur in iudicio, semper est commutativa, ita, ut, si detur uni parti litiganti, profit etiam alteri, *l. Petenda; 6. C. de temp. in integr. restit. Marant. c. l. n. 18. Wesenb. in paratit. C. h. r. n. 2. Item tempora dilationum probatoriarum, sicut & omnium aliarum, sunt continua, ita, ut comprehendatur etiam dies feriati, & continuo currant, *l. si pars; 3. C. h. r. nisi feriæ absorberent totam dilationem, vel maiorem eius partem; tum enim non computantur in dilacione, Mar. c. l. n. 18.****

Quòd si repentinæ feriæ supervenerint, beneficium restitutionis competit, ut iis subductis, alii totidem dies subrogentur, *l. Sed etsi; 26. §. Si feriæ; ff. ex quib. caus. maior.* Si verò dilatio data sit absenti, ea eidem non currit, nisi à die intimationis, nec dies, quo fit intimatio, computatur, *Marant. cit. acta 3. n. 14.*

XX. Huc etiam pertinent dilationes allegatoriae, quæ dantur ad allegandum: nam Iudex, auditis probationibus, & exceptionibus partium, antequam procedat ad sententiam definitivam, interrogare debet partes, an quid amplius allegare, seu proponere velint? tunc, si una pars allegationibus renunciet, altera verò non, sed plura, quæ proponat, se habere, asserat, dantur ei induciæ, seu dilationes ad allegandum tres successivè, quarum singulæ XXX. dies, sive unum mensem continent, *Auth. Iubemus; C. de iudiciis.*

XXI. Assertio 2. In tertia parte Iudicii conceduntur dilationes definitoriae, & executoriae. Definitivæ sunt, quæ dantur ad causam definiendam: & hæc suapte naturâ, non sunt peremptoriae; sed secunda, aut tertia addi debet, nisi præstantur cum termino peremptorio, v. g. si quis tali die non comparuerit ad audiendam sententiam definitivam; etiam in eius absentia, Iudex procedet ad ferendam sententiam, *l. In Peremptorio; 71. ff. de iudic. arg. c. Consuluit; 24. de offic. deleg.* Dilationes verò executoriæ sunt, quæ dantur reo per sententiam condemnato ad satisfaciendum, vel solutionem faciendam; & sunt IV. mensium, quod tamen tempus à Iudice prolongari, aut abbreviari potest, *c. Quòd ad consultationem; 15. de sent. & re iudic. l. Debitoribus; 31. ff. de re iudic.* Hæc dilationes non habent locum in actionibus realibus, in quibus statim fit executio; nisi possessor neget, se statim posse restituere, & caveat per fideiussores de re, vel eius æstimatione restituendâ: tum enim aliqua dilatio ei à Iudice concedenda est. *§. Etsi in rem; Instit. de offic. Iud. l. Qui restituere; 68. ff. de rei vind.* Neque etiam in criminalibus locum habent tales dilationes, cum in his quoque executio non differatur, nisi in certis casibus; veluti cum Princeps jubet aliquem solito acrius puniri: cum mulier prægnans damnatur ad mortem: cum damnatur servus ratiociniis obligatus: cum relegando assignanda est Insula; *Hofiens. in summ. de offic. Iud. deleg. §. Quæ jurisdictio; Vers. Quamvis. sed de his plura alibi.*

XXII. Assertio 3. Prorogatio dilationum nihil aliud est, quàm dilationis labentis, nondum lapsæ, extensio; & dicitur eadem dilatio cum prima; id est, que, lapsò termino, non prorogatio, sed novus terminus, seu nova dilatio petenda est, eaque ex causâ tantum concedenda: quia, quod non amplius est, non potest prorogari: cum verò, finito termino prioris dilationis, alia datur, non fit prorogatio, sed nova dilatio datur. quamvis autem etiam in prorogatione dilationis causæ cognitio exigatur, non tamen tanta, quanta in nova dilacione concedenda requiritur, *Gail. l. 1. obs. 91. n. 20. Camil. Borellus in summ. Decis. Tit. 47. n. 46. & duobus seqq.* Contrarium tamen, quòd Iudex ex officio, & sine ulla causæ cognitione, etiam invitâ parte adversâ, possit prorogare, seu continuare primam dilacionem, quamvis non

vis non possit novam concedere, nisi causâ cognitâ, probabilius esse, censet *Hiltrop. cit. tit. 35. num. 82. & 83. post Felin.* quia finitâ dilatione, adversario est jus acquisitum, quod ei invito auferri non potest: ideoque causâ cognitione opus est.

Potest prima dilatio probatoria non potest prorogari; quia superest secunda. & tertia, imò & quarta; quando de justo impedimento constat; ut supra dictum; & quia dilaciones sunt amputandæ, l. 2. in princ. C. de temp. appell. Neque ad extraordinarium prorogationis remedium est deveniendum, quando superest ordinatum, *Gail. c. l. num. 2.* Imò, si in prima dilatione multi testes fuerunt producti, & examinati, non est danda secunda, & tertia dilatio, *Gl. in c. In causis 15. infr. de testib.* quia testium multitudo refrananda est, c. *Significaverunt;* 36. eod. Quarta verò dilatio probatoria ex legitima causâ prorogari potest cum eadem solemnitate, quâ data fuit; licet non faciliè prorogari debeat, ne fraus fiat legi, & ne in effectu quinta concedatur dilatio, quæ de jure concedi non

potest, *Gail. c. l. num. 16. & 17.* præterquam in casu, quo nulli adhuc testes producti sunt; tum enim, probato impedimento legitimo, etiam quinta, imò & ulterior dilatio concedenda est, *Tancredus lib. 3. tit. 18. §. 2.*

XXIII. Assertio 4. Effectus dilationis præcipuus est, quòd eâ pendente, officium Judicis quiescat, nihilque sit agendum, vel innovandum super articulo, seu capitulo, super quo data est dilatio, l. *Sive pars;* 3. C. h. t. quamvis super alio Judex procedere non prohibeatur, *Hiltrop. c. l. n. 85. & 88.* finitâ autem causâ, seu impedimento, ob quod concessa est, statim finitur dilatio: quia cessante causâ, cessat effectus: Ut si alicui data sit dilatio decem dierum, & citatus comparuerit primâ die, preempta est illa dilatio, neque officium Judicis conquiescit; sed is interim procedere potest in causa, sicut etiam, si Judex dilationem revocaverit, *Hiltrop. c. l. n. 87.* qui plures effectus dilationum recenset, de quibus jam dictum.

T I T U L U S I X. DE FERIIS.

Post dilaciones agitur de feriis, quia & ipsæ feriæ sunt dilaciones quædam Judiciorum: ideoque etiam in Digestis de utrisque in uno Titulo; in Codice verò post Titulum de Dilationibus immediatè subiicitur Titulus de feriis. licet à dilacionibus in eo distinguantur feriæ: tum quia dilaciones dantur, ob utilitatem partium litigantium, & quidem plerumque ad instantiam illarum, ut se instruere, ac parare possint ad futuram litem: feriæ verò potissimum ob publicum bonum, vel DEI honorem sunt institutæ: tum quia dilaciones plerumque dantur, secundum exigentiam causæ, Judicis arbitrio: feriæ autem definitæ sunt, & stabiles.

§. I.

De variis feriarum generibus, & earum computatione.

ASSERTIO I. Feriæ hîc generatim dicuntur dies, seu tempora; quibus jus non dicitur, id est, à negotiis forensibus, seu actibus judicialibus cessatur, sive vacatur; ut colligitur ex l. *Prædie;* 5. & l. *seq. ff. h. n. & l. Omnes;* 7. C. eod. & ideo olim dictæ sunt Iustitium, quod Jus, sive Judicium tunc stare, nec progredieretur, *VVesenbec. in paratit. ff. h. t. n. 2.*

Sunt autem feriæ aliæ solemnes, seu ordinariæ, quæ legibus, & SS. Canonibus definitæ sunt, & quotannis recurrere solent, & peræquè semper servantur; ideoque etiam ordinariæ appellantur, *Fulh. l. 2.*

jurisp. Rom. c. 30. n. 5. Hæ autem subdividuntur in ferias sacras, & profanas. Sacræ dicuntur, quæ ad DEI cultum, & honorem, Sanctorumque venerationem institutæ sunt, de quibus in c. *ult. h. t. & l. Omnes;* 7. C. eod. Profanæ rursum sunt, vel politica, seu honoraria, quæ in honorem Principis indicuntur, v. g. ob naralem illius, *cit. l. Omnes;* C. h. t. aliqua sunt necessariæ, sive rusticæ, quæ ob rem rusticam, & utilitatem ruri laborantium conceduntur, tempore messis, & vindemiæ, de quibus in c. *ult. h. t. & l. 1. ff. l. 2. & l. Omnes;* 7. C. eod. Et hæ feriæ determinari debent, secundum consuetudinem, cujusque loci, seu regionis; cum in locis calidis citius colligantur fructus, quàm in frigidis, l. *Præsides;* 4. ff. eod. *Abb. in c. ult. n. 8. h. t.* Huc pertinent feriæ nundinarum, quæ ob publicum mercatum exercendum instituantur, ut sunt nundinæ Francofurtenses, Lipsienses &c. de quibus agitur in *Tit. D. & C. de nundinis.* Extraordinariæ verò, seu repentinae feriæ dicuntur, quæ non certâ, & stabili lege